

UT LITE PENDENTE VEL POST PROVOCATIONEM  
AUT DEFINITIVAM SENTENTIAM NULLI LICEAT IMPERATORI SUPPLICARE.

1.21.1

*Imp. Alexander A Caperio.*

Licet, postquam supplicasti, priusquam rescriptum impetrares, praeses provinciae vir clarissimus pronuntiaverit, cum tamen a sententia non provocaveris, rescriptum, quod postea secutum esse suggeris, ad retrahenda quae decreto terminata sunt non patrocinator.

*D. k. Mart. Lupo et Maximo cons.*

[a. 232]

1.21.2

*Imp. Constantinus A. Petronio Probiano suo salutem.*

Supplicare causa pendente non licet, nisi vel actorum vel pronuntiationis editio denegetur, qui autem terminatam rescripto vel consultatione quaestionem exquisito suffragio refricare conabitur, in omnem litis aestimationem adversario suo protinus condemnetur: omni venia deneganda, si quis contra haec supplicare temptaverit.

*D. id. Aug. Arelato, pp. id. Oct. Theveste Sabino et Rufino cons.*

[a. 316]

1.21.3

*Idem A. ad universos provinciales.*

Qui licitam provocationem omiserit, perpetuo silere debet nec a nobis impudens petere per supplicationem auxilium, quod si fecerit, desiderio suo carebit et ignominiae poena notabitur.

*D. k. Aug. pp. k. Sept. Constantinopoli Basso et Ablabio cons.*

[a. 331]